



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema II. Cur Deus in Essentia Unicus, Trinus in Personis? Dominica I.
Post Pentecosten. Docentes eos servare omnia. Matth. 28 v. 20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA II.

Cur DEUS in Essentia Unicus, Trinus in Personis?

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Docentes eos servare omnia. Matth.

28. v. 20.

§. I.
Quid Apostoli intellexerint per voculam omnia.



I quæram ex Apostolis, quidnam per *Omnia* intellexerint, cum iussi sunt docere gentes, ut servent omnia, respondebit gentium Doctor, per Omnia à se intelligi DEum Trinum, per quem omnia, in quo omnia, ex quo omnia; hunc nôsse vita est, hunc observare sapientia est, hunc super omnia diligere, salus est æterna; *quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Paulò aliter respondebit dilectus Discipulus, & per omnia intelliget Eucharistiam, in qua videlicet omnes thesauri scientiæ & bonitatis & omnipotentiae Divinæ sunt absconditi. Certè sub hoc titulo omnia idem Apostolus Eucharistiam expressit, cum admirabile hoc mysterium descripturus dixit: *Sciens IESUS quia Omnia dedit ei Pater in manus.* Omnia dedit, cum memoriam mirabilium, & magistrale Divinæ omnipotentiae opus, Eucharistiam Pater Filio in manus dedit. Et cur non Eucharistiam vocemus *Omnia*, siquidem illius umbram Psalmographus vocavit omnem escam: *omnem escam, hoc est, manna abominata est anima eorum.* Adde,

Rom. 2.
v. 36.

Joan. 13.
v. 3.

Psal. 106.
v. 18.

quòd non incongruè pro Eucharistia faciant verba immediatè sequentia: *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Docentur gentes *servare omnia*, observare videlicet Eucharistiam, quia in ea nobiscum IESUS est usque ad sæculi consummationem. Realis præsentia Salvatoris omnimodam exigit observantiam, reverentiàmque. Alium eorundem verborum sensum apud Jacobum Apostolum invenio, qui per omnia totam Dominicæ legis plenitudinem intelligit, asseveratque præcepta omnia unius ad instar esse servanda, & unumquodque instar omnium: *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Omnia præcepta servanda sunt, quasi foret unicum, quæ ideo ab uno legislatore emanarunt, ut eò faciliùs observarentur, hæc enim congruentissima ad morum instructionem mihi videtur esse causa, cur DEUS unus sit in essentia, multus in personis, quia simplex in præcipiendo est, multus verò in remunerando, quod esto præsentis Dictionis argumentum.

Non tantum necessitate naturæ, sed etiam ex convenientia nostra DEUS triunus est, unus quidem, ut

Matth. 23.
v. 21.

Jacob. 2.
v. 10.

§. 2.
Ex unitate
DEI probare inten-
fa-

facilius ei serviatur, multiplex ut uberiùs nobis beneficiat. Cùm legem divinam Israëlítico populo Moyfes promulgaret, hac usus est captandæ benevolentiae præfatione: *Audi Israël & observa, ut facias quæ præcepit tibi Dominus*, Deut. 6. v. 3. atque nè durum nimis exaratae in tabulis lapideis legis Sinaiticæ onus videretur, opportunè subjunxit: *audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est* v. 4. quasi dicat: non potest intolerabile videri præceptorum jugum, quod ab unico imponitorum Domino, & quidem pro capite legis requiritur, ut non pluribus quàm uni solique Domino serviatur. Hoc enim verò incitamentum longè validissimum est, ad inviolandam Dominicæ legis observantiam, quia Dominus noster DEUS unus est. Poterat quidem observandi Decalogi motivum à DEI immensitate, æternitate, liberalitate, ceterisque infinitis attributis desumi, sed ab unitate desumere Moyfes maluit, unde ingens in ingenuis oriretur solatium, quòd unico serviendum esset Domino, qui unius voluntatis & simplicissimæ substantiæ, ex hoc ipso capite tolerabile atque per facile onus redderet mandatorum. Hanc mihi cogitationem excitavit Oleaster, cùm annotationem ejusdem moralem in c. 6. Deut. perlegerem, ubi sic habet: Considera à quot laboribus nos Deus eripuit. Difficile est multis Dominis servire, quantò magis diis? Nè ergò labores ò homo in multorum DEORUM tam diversa poscentium cultura, ostendit tibi DEUS suam unitatem. nemo, ait Christus, potest duobus Dominis servire, neque fortius duobus aut pluribus diis, quorum triginta millia in orbe fuisse historiae produnt. Vide ergò quomodo pauper homo, qui uni DEO vix sufficit posset triginta millibus

ministrare. Hucusque Oleaster. Immortales proinde immortalium debemus gratias, quòd ex gentilitiarum superstitionum tenebris in admirabile lumen suum eductos, uni sibi servire voluerit, cujus unica est voluntas, *svave jugum, & onus leve*.

Ut Abimelech contribulibus suis, quorum ambiebat dictaturam pervaderet, quàm utile, jucundum, necessarium sit unicum habere foris ducem, cujus signa & ductum in hostes sequerentur, unicum domi principem, cujus nutui se submitterent, unicum cui parentem, in hunc modum locutus legitur Jud. 9. à v. 2. *Quid vobis est melius, ut dominantur vestri septuaginta viri, omnes filii Jerobaal* (inter quos scilicet tanquam fratres rara concordia) *an ut dominetur unus vir? simulque considerate, quòd os vestrum & caro vestra sum.* Quæ oratio tam fuit efficax, ut ex templo Sichimitæ collatis inter se capitibus in hanc pedibus manibusque concesserint sententiam, fatius esse uni servire Domino, quàm heros septuaginta tolerare, atque idcirco septuaginta libras argenti in subsidium bellicum obtulerunt, ut Marte sive argenteo, sive ferreo principatum sibi tyrannus vendicaret: *frater noster est, dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberit* v. 4. non poterat expugnandis Sichimitarum animis fortiolem Abimelech adhibere arietem, quàm dicendo, uni soli servituras, si ipsi servire placuerit, & quidem conterraneo, consanguineo, fratri. habere septuaginta viros inquit Tostatus in c. 9. Jud. in Dominos laboriosum est, & intolerabile, quia quilibet jubebit, & omnes extorquebunt aliquid à populo, & ut omnibus provideatur, necesse erit fieri magnas extorsiones & depauperationes.

S. 3.
Sichimitis
pervadet
Abimelech
ut se
præ filiis
Gedeonis
in ducem
eligant.

B

Fe-

Problemata P. Philippi Hartung.

Felices proinde nos, qui unicum habemus Deum, quem adorare, unum Deum, cui servire, meliorique titulo quàm Sichimitæ Abimelecho dicere possumus: *Frater noster* propter assumptam humanitatem, frater noster est. Argumentum hinc desumit Tertullianus ad DEo omnibus viribus serviendum, lib. de pat. c. 4. *meliora ergo erunt in obsequii disciplina, quæ nobis DEus subdidit? agnoscunt denique quæ obediunt. nos qui soli subditi sumus, Domino auscultare dubitabimus?* quæ Tertulliani verba sic Delacerda noster explicat: si bestia quæ nata sunt tantum ad obediendum non ad imperandum, tot agnoscunt obsequia, quæ præstent infinitis Dominis (nam tot habent, quot sunt homines) nos dubitamus uni soli parere, cui subditi tantum sumus? vah pudor! pudenda certè stultitia nostra, quòd cum nati simus ad famulandum uni Domino, ejusque voluntati obsequendum, innumeris nos tamen implicemus servitutibus, & innumerorum Dominorum tyrannidi scientes volentes mancipemus, tot videlicet Dominis, imò carnificibus, quot humanis respectibus, quot dæmonis instinctibus, quot rebellibus perversæ naturæ motibus consentimus. à quibus posteaquam duro ac diuturno labore obruti fuimus, pro stipendio mortem, & infinitam calamitatum abyssum recipimus, sic justissimè statuente supremo illo Domino, qui ideo unus est, ut uni unicè serviatur, ideo unus est, ut eidem facilius serviatur, ideo unus est, quia Corrivalem non patitur, & in corde nostro solus vult esse omnia, aut nihil.

§. 4.
Qui ab uno
Deo deficit
incidit
in innumeros
tyrannos.

Mulier illa Samaritana Joann. 4. frequentum pudendis cupiditatibus laxans, viro uni adhærere noluit, legitimi impatiens jugi, & in sena incidit juga cui falsè veritas reposit:

quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. en quot Dominos imò tyrannos habet, qui Dominicum sexti præcepti jugum excussit. Invitatus ad nuptiale convivium hospes venire renuit, & causam prætendit: *juga boum emi quinque* Luc. 14. jugum Christi rationale suscipere noluit, & alia quinque irrationalium jumentorum sibi emit. *Vides excusationem hominis* (inquit Bernardus, & extremæ dementiæ hominem vocat serm. ecce nos:) *qui propterea Christum non insequitur, quia juga boum emerit quinque.* Sic mercantur quotquot unum jugum, unum obsequium, unum Deum detrectant, & sibi innumera fabricant idola. Coëgit refractarius Israël in deserto Aaronem, ut absente Moyse aureum vitulum efformaret in idolum; efformavit id Aaron, & adorandum proponens exclamavit: *Hi sunt dii tui Israël* Exod. 32. unicus erat, vitulus, & tamen Deorum nomine insignitur, quia desinens ab uno vero DEo, in Deorum multitudinem incidit, proque divino jugo nefariè excusso, jugis boum plurimis oneratur, *unus factus est vitulus* (Oratoris aurei vox est, homil. 5. de poenit.) *Et clamat ingratus populus: Hi dii tui Israël, hi dii tui unum respiciens. Quare igitur dii? non quod videtur, indicat, sed Deorum pluralitatem annuntiat.* Vult dicere Chrysostomus, Aaronem in unico idolo plures Deos interpretatum fuisse, quia necessarium est, ut qui ab uno vero DEo recedit, ad innumeros accedat deos tyrannos. Subjugalem pullum asinae sibi offerri Christus jussit, qui cum solveretur, apparuit pullum hunc non unius Domini, sed multorum fuisse, ita enim habet Lucas c. 19. *Solventibus autem illis Discipulis geminis, Petro & Joanne, pullum, dixerunt Domini ejus: quid*

quid sol-vitis pullum? in hoc pullo conditio peccatoris repræsentatur, cui non unus, sed plures Domini imperant, quando à Christo solvendus est. *nónne si mente præditus esset, inquit S. Athanasius ferm. deramis, sufficeret, si ei unus Dominus insideret? nunc autem plures sunt ejus Domini.* deterior asino esse debet, qui sub tali onere non ingemiscit; asinâ dementiâ laboras, inquit Baëza, si ab uno Domino ad plures confugis, multiplicibus premendus jugis.

Intolerabile enim verò jugum & ruinæ proxima servitus est, multos habere gubernatores. Postquam Rex novus, qui ignorabat Josephum, in Ægypto surrexisset, & incrementum Israëlitarum observasset, consilio cum Palatinis suis in hoc statuit: *Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est, venite; sapienter opprimamus eum. præposuit itaque eis Magistros operum* Exod. 1. v. 10. ruinam novus ille Pharaon non ab exilio, non à carceribus, non à gladio quæsit, sed à gubernatorum copia. *Præposuit eis Magistros operum.* hic describitur ipsa afflictio populi, inquit Lyranus, quæ afflictio intolerabilis omnino fuit, est enim ultimæ calamitatis linea & omnium miseriarum centrum, pluribus Dominis subesse; quare ut svavius Deo nos nostro serviremus, unus per naturam est, & unus nobiscum esse desiderat per amoris unionem.

S. 5.
Ex imperantium multitudine ingens est populi afflictio; experti Israëlitz.

S. 6.
Ideo Deus est unus, ut minus imperet, plura donet.

Cum in intimo Deitatis consilio conclusum esset, ut Adamus solitarius non maneret, sed alterâ sui parte augustior fieret, *non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile* Gen. 2. v. 18. data mox est executioni sententia & sopore in Adam immisso, *tulit unam de costis ejus & replevit carnem pro ea, & edificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem* v. 21. &

22. cum mulier formatur, non nisi unius Personæ, mentio fit, at verò cum eadem mulier decernitur, plurium personarum meminit facer historicus *Faciamus*, etsi enim eadem simul personæ Evam formârint, quæ formandam decreverunt, nihilominus unius tantum personæ in formatione mulieris fit mentio, quia in *decernendo* dandum aliquid erat, in *formando* verò aliquid accipiendum. Aliud est benefacere, aliud accipere, dum Deus intendit benefacere, multiplicem se in personis insinuat: *Faciamus*; cum verò aliquid ab homine accipiendum est, unicam personam nominat: *tulit unam*. Si favores conferendi sunt, certant quodammodo inter se personæ, & nulla abesse vult, at verò cum aliquid ab homine tollendum, inferendumve supplicium, nunquam omnes tres nominantur. Patet id in Abrahamo, ad quem tres viros in valle Mambre divertisse & prandisse legimus, quia fecunditas utrique vetulo sterilique parenti conferebatur, & Messias ex eorum prosapia nasciturus promittebatur, at verò cum ab iisdem angelis Triadem Personarum referentibus evertenda esset Pentapolis, etsi ab Abrahamo tres discesserint, non tamen tres Sodomam adventasse & pernoctasse leguntur. Nimirum multus in largiendo Deus est, non ita in plectendo. unus est, cum præcepta imponit, Trinus cum præceptorum observantiam remuneratur.

Quinque Virgines fatuæ serò ad nuptias ex olei defectu venientes, validis vocibus manibusque portam pulsant: *Domine Domine aperi nobis* Matth. 25. v. 11. ô stultæ & duplicis lingvæ puellæ, cur Dominum vobis multiplicatis, qui simplicis est essentia & cordis & oris. Scitis sponsum esse unum, & nunquid paulò antè audistis: *Ecce*

S. 7.
Ideo fatuæ Virgines nuptiis excluduntur, quia Dominum duplici corde & labiis, omisso Sancto Spiritu invocant.

Sponsus venit, exite obviam ei. cur ergo multiplicatis illi nomina, & congeminatis dominia: *Domine Domine?* palpum is non amat, pseudopolitico non fovet, non favet duplicitati, cum simplicibus sermone cinatio ejus. Unus est Sponsus, cur ergo personam ejus duplicatis? respondet profatus Virginibus Alphonsus Padille: opinor, quoniam etsi fatuæ, etsi imprudentes, id planè noverant, Deum ad accipiendum unum esse, unde dicitur: *ecce Sponsus venit*, venit enim ad sponsas accipiendas, multiplicem verò ad beneficia conferenda, & idcirco cum ejus auxilium implorant, personam ingeminant. Et fortassis exauditaæ atque ad nuptias admittæ fuissent, si omnes tres nominassent personas, & Spiritum Sanctum pariter invocassent: *Tertius Domine deest*, ait Hugo Cardinalis, quia ut dixit Apostolus: nemo potest dicere: Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto. Spiritum Sanctum omiserunt, qui est dator munerum, atque idcirco nuptialia munera amiserunt. Tertium *Domine* ignoraverunt, ideòque ignoratæ sunt: *nescio vos*. Spiritum Sanctum non invocârunt, unde & nomen Salvatoris suam in salutem ritè non protulerunt, quia nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Discamus à fatuis cautius loqui, cumque cœlestia ambimus beneficia, totam invocare Trinitatem, Patrem per Filium, Filium per Spiritum Sanctum, hunc in nomine Patris & Filii, tota enim nominari gaudet Trinitas, quæ idcirco pluralitatem amat personarum, ut pluribus nobis titulis gratificetur.

§. 8.
DEus in lege veteri unus, in nova trinus invocatur. cur?

Ecce DEus magnus! exclamat Job, c. 36. v. 27. seu ut septuaginta verterunt: *ecce DEus multus*. multus omninò ad ignoscendum, multus ad obsequium pensandum,

multus ad dona naturæ, gratiæ, gloriæ conferendum, in lege veteri nominatur DEus unus, in nova Trinus, quia olim multa præcipiebat, & pauciora quàm nobis in lege gratiæ conferebat; jam verò quia pauciora præcipit (præcipit enim hoc unicum: *Ama & fac quod vis*;) & ingentia dona largitur, idcirco personarum detegit Trinitatem. Quod uni personæ in honorem præstatur, ab omnibus benignissimè accipitur, solvitur, hinc illud: *qui diligit me diligitur à Patre meo, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*. Joann. 13.

Quam ter beatissimam Trinitatem, ut quisque in semetipso exprimat, sit unus & multiplex, unus quidem in simplicissima intentione DEo soli placendi, totòque corde eidem serviendi, cum DEus idcirco unus sit, ut svavius eidem ferviatur; & quia beneficentissimus idem DEus ideo in personis trinus est, ut uberiùs nos prosequatur beneficiis, conetur unusquisque nostrum multus esse in seraphicis desideriis ità colendi Sanctissimam Trinitatem, sicut ab omnibus simul creaturis colitur, & coli potest. Placebit hæc unitas, nec displicebit multiplicitas. Placuit Christo alienigena ille mundatus à lepra, de quo Lucas c. 17. *unus autem ex illis ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans DEum*. ideo placuit, quia unus fuit, videlicet non in seipso divisus, sed integer & ex toto oblatus est DEo. Divi Anselmi hoc acumen est apud Baëzam tomo I. lib. 3. c. 7. §. 19. Quòd dicitur unus, intelligendum est, non diversis voluntatibus se varians, sed in una perdurans. nimirum qui DEo placere vult, uni illi placere satagat, & integrè se eidem donet, dedicetque. Et quia idem alienigena novem reliquorum à lepra emundatorum per-

§. 9.
Exemplo Dei sit quilibet unus & multiplex.

Padil, in Habac.

personam supplevit, unus pariter ac multus fuit, ac plus omnibus placuit. Ut placeamus & nos, dicat unusquisque nostrum corde potius quam ore: Ter optime maxime DEus, si possem te tantum amare, adorare, oblectare, quantum omnes Sancti simul sumti & Angeli te amant, imò quantum ulla creatura, aut omnes possibiles cum omni gratia tua qua per totam omnipotentiam tuam illis dare posses, te possent amare, sic Te amarem. atque ut ostendam hanc voluntatem meam seriam esse, en omnibus quas nunc habeo viribus te amo & amare volo, ut declarem, quòd si plus possem, plus Te amarem.

Pro Emblemate Sol fit, quem innumeræ cingunt undique Stellæ:

Sol unq, lumina mille. Unū Solem respicimus, at mille luminib⁹ respicimur, fovemur, recreamur. Unum respicimus, amamus adoramusque DEum, sed qui mille nos vicissim gratis ac favoribus respicit & reficit. Respiciant in te, ò Sol Clementiæ, oculi omnium, ut non tantum in gratiarum tuarum semper oculis vivamus, sed tanquam pupilla oculi tui adversus omnem Principis tenebrarum fallaciam custodiamur.



PROBLEMA III.

Quis Titulus DEO honorificentissimus?

DOMINICA EADEM.

In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti

Matth. 28. v. 19.

§. I.
Honorificorum titulorum a vidissimis sunt homines.



Quanto mortales studio in splendoribus ferantur titulos, nemo est, qui non videat, audiat, experiat. Vix panem à rustico impetraveris, nisi Dominationis eū titulo dones; pauci de nobilibus sunt, qui per illustres imò illustrissimi non malint appellari, nobilibus se cives æquiparant, quin & de sorte Altissimi seu clero quot invenies, qui Re-

verendos se absque adverbio *Admodum* aut superlativo nuncupare sustineant? primum quod scribitur, legitur, atteritur, titulus est; primum quod appetitur, quæritur, procuratur, titulus est; primum quod adolescentem in palæstra literaria excitat, militem in campo martio animat, palatinum in aula & curia conciliat, titulus est. proecessit eò usque infana Principum nonnullorum cupiditas, ut ab astris & astrorum principibus suos sibi titulos mentirentur.